

Letter 157: 24 April 1523, Strasbourg, Capito to Michael Sander

The manuscript, a draft in Capito's hand, is in the Strasbourg Archive Municipale, AST 40, # 39.

Salve, reverende vir. Audio te esse in aula Caesareana quam fortunam, si ex re atque animo tuo, tibi vehementer gratulor, cuius successum, ut meum ipsius habeo in votis. Equidem vero, ne nescias, ad ocium specto, nam supra vires connitendo agendoque plurimum, nihil hactenus egi. Adeo se mala pessima Germaniae undique proferunt. *Malo*, igitur, quantum mihi permittor, *esse*

5

*ociosus*, ut ille ait, *quam* in hunc modum sub tot periculis *agere nihil*. Verum diversa tibi ratio feliciter constat, quod gaudeo. Siquidem amici bona nostra putamus. Strenuissimum Dominum Bernardum Wormserium equitem, una cum reliquis legatis civitatum tuae fidei commendo. Habent enim quod agunt, quo peracto, aut spem pacis ad continendum imperium aut periculosissimum bellum ac discessionem privatasque confoederationes videmus imminere.

10

Nullas dum preces habeo qui toties tam anxie laboravi. Eoque oro Magnificum ac Illustrissimum Dominum Cancellarium exores mei sit memor. Audio enim super custodia S. Thomae Argen. et ad capitulum Surburgen. Argen. diocesis vacare modo preces per mortem impetrantium. Si potes pro amico gratis impetrare, quod adhuc sub dubio est an illi perierint, utere officio amici et Iacobum Pfeffingerum cognatum meum nominandum cures ad custodiam, ad capitulum autem Surburgen. Henricum Capitonem fratrem. Philippus Nicola secretarius adiuvabit, quem iubeo plurimum salvere. Ad ecclesiam Halberstadiensem mihi princeps meus impetravit, quibus non dabitur frui, quod sentiat me nolle eo loci vitam transigere, cuius gratia mihi ille duntaxat esset concessurus.

15

Praeterea dum abirem Wormatia, quod tu eras aulam Caesaream subsecuturus, dedi viginti duos aureos et commisi curam sollicitandi pro Magistro Ioan. Gebwilero et generoso domino de Falckenstein super precibus impetrandis. Illi nunc eam pecuniam reposcunt; eoque oro Frederico Brechtero mercatori Argentinensi scribas ut nomine tuo id nummorum hic reddat de futura pensione decanatus. Manebo hic ad mensem, deinde ad vocationem principis revertar ad pistrinum aulae nostrae perturbatissimae, hoc saxum voluturus quoad commode potero secedere. Nam pristinum ocium meditor. Dominus Bernardus de rebus nostris te diligenter docebit. Vale. Argentinae. 24 April. anno 1523.

25